

se pro excommunicatis gerere debeant, et ab ingressu ecclesie, celebracione divinorum, sacramentorum percepcione et collacione penitus abstinere.

Super punctis vero illis, que loquuntur de mittendis ad Concilium ad obtinendam absolucionem a censuris et excusandum prelatos a personali comparicione, et incorporandum se vice omnium prelatorum et permanendum ibidem etc. videtur dominis deputatis, quod pro expensis eorundem mittendorum ad interessendum Concilio omnes prelati simul concorditer contribuere debeant. Et si pro aliquibus prelati, quos mittendi predictis sentenciis ligatos repererint, expensas forte fieri contingat, expense huiusmodi non per omnes, sed eos tantum, qui absolucionis indigent beneficio, debeant persolvi. Si vero contribucionem expensarum predictarum aliqui ex prelati, quod absit, se opponerent, asserentes forte, quod alias in Sacro Concilio suos procuratores ad interessendum in eo habeant, discordia huiusmodi ad oratorum domini pataviensis noticiam deducatur, ut ipsi discordiam huiusmodi iuxta tenorem mandati domini nostri pataviensis super hoc eisdem traditi ad concordiam reducant et concludant.

Super articulo de mittendis personis ad sacrum Concilium, videtur dominis deputatis, quod prelati utriusque religionis conveniant et inter se deliberent de mittendis hac vice, ita tamen quod quelibet religio ad minus mittat vnum, pro taxa autem ad expensas dictorum procuratorum necessaria imponenda, de qualibet religione deputentur sex prelati, quatuor de Austria et duo de Bavaria, qui bona fide et non ad extremum videant facultates cuiuslibet monasterii et deinde quodlibet ipsorum iuxta facultates suas et secundum estimacionem comunem per dictos sex prelatos faciendam ad huiusmodi expensas contribuat, prout necessarium videbitur.

Iterum predicti sex prelati eligere debent tres de qualibet religione, duos in Austria et vnum in Bavaria qui colligant pecunias ab omnibus aliis prelati pro expensis predictis et a nolentibus seu plus debito differentibus solvere taxam eis impositam predicti tres habeant auctoritatem a dno epo eandem taxam a nolentibus exigendi, aut dnus noster pataviensis per se taxam huiusmodi exigat cum effectu.

Et quia procuratores mittendi instare debent apud sacrum Concilium, quod remittantur ad patriam et non teneantur remanere in Basilea usque ad finem Concilii ideo sequuntur rationes, super quibus fundantur predictae petitiones: